

religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratior aliquis famulatus impenditur, nisi ex radice charitatis procedens a pravitate religionis fuerit conservatus. Hoc nimirum charitatis intuitu, dilecte in Domino fili Opizo Abbas, venerabilis fratris nostri Azonis Aquensis Episcopi, & fratris ejus illustris viri Ansermi Marchionis precibus inclinati, ejus justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium B. Mariæ matris Domini, & S. Crucis, quod nimirum ab eodem Marchione, & matre sua, nec non fratribus, filiis, & uxoribus suis in Aquensi Episcopatu constat esse fundatum, cui Deo auctore præsidet, Apostolicæ Sedis patrocinio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus secundum B. Benedicti regulam, & formam religionis fratrum Cisterciensis monasterii futuris temporibus, ibidem inviolabiliter perseveret. Bona igitur & possessiones, quæ ad eundem locum in præsentiarum juste, & canonice pertinere noscuntur, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis procurante Domino poterit adipisci, firma sibi, suisque successoribus, & illibata permaneant, quidquid videlicet in loco qui Boschus dicitur, vel ubicumque a præfato Marchione, seu ab aliis Dei fidelibus eidem monasterio constat esse collatum. Sancimus etiam, ut nec Marchiones, nec aliquis eidem loco adjacentium regionum occasione pacis aut guerræ, seu regalis fodri monachos, vel conversos in eodem loco commorantes in personis, vel eorum substantiis opprimere, inquietare, vel ab eis aliquid exigere, aut violentiam aliquam inferre præsumat. De vineis quoque, quæ apud castrum Varagii sunt, idipsum auctoritate Apostolica constituimus. Decimas sane laborum, quos propriis manibus, aut sumtibus colitis, & de animalibus vestris nullus a vobis expetere, vel recipere audeat, interdicimus autem ne monachos, vel conversos vestros post factam in vestro monasterio professionem aliquis Episcoporum, Abbatum ipsorum, vel aliqua persona absque libera vestra licentia recipere, vel retinere pertentet. Sed tamquam suæ professionis prævaricatores redire ad locum ipsum compellantur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva nimirum Aquensis Episcopi justitia, ac debita reverentia. Si quis igitur &c.

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Guillelmus Prænестinus Episcopus. Ego Ubertus Præsbyter Card. tit. S. Laurentii in Lucina. Ego Lucas Præsbyter Card. tit. SS. Joannis, & Pauli. Ego Romanus Diac. Card. S. Mariæ in Porticu. Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii, & Bachi. Ego W. Diac. Card. S. Mariæ in Via lata. Ego Otto Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum. Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ, & Damiani. Dat. Brixie per manum Aymerici Diac,

Card. S. Romanæ Ecclesiæ, & Cancellarii VII. cal. aug., indictione X., Incarnationis Domini anno millesimo &c. 7. Pontificatus vero Domini Innocentii P. P. secundi anno tercio.

*Donatio MM. Ragnerii, Wilielmi, & Ardezonii
Monasterio de Locedio ex autographo.*

M C X X X I I I.

38.

Anno ab Incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo trigesimo tercio, quinto calendas aprilis, indictione undecima, Ecclesiæ, quæ est sita in Episcopatu Vercellensi in nemore quod vocatur Locez, vel sanctis, qui ibi fuerint venerati. Nos Marchio Ragnerius filius quondam Wilielmi & Gisla jugalis filia quondam Vialii, sive Wilielmus filius jam dicti Ragnerii, nec non & Julitta jugalis filia Lupaldi, atque Ardezonus filius quondam item Ardezonii, qui professi sumus lege vivere Salica ipsis jugalibus nostris nobis consentientibus, & subter confirmantibus offertores, & donatores ipsius Ecclesiæ superscriptæ præsentibus præsentibus diximus. Quisquis in sanctis, seu venerabilibus locis, aliquid de suis intulerit bonis, juxta vocem auctoris centuplum in hoc seculo, atque in futuro quod melius est vitam æternam possidebit. Ideoque nos qui S. Marchio Ragnerius, & Gisla, sive Wilielmus, & Julitta, atque Ardezzonius Marchio omnes infimal donamus, cedimus, & offerimus prædictæ Ecclesiæ, quidquid nobis attinet a flumine illo, quod dicitur Galanium, usque in flumine Pavoni, & usque ad terram S. Eusebii, & usque ad fossatum, desubter in curtem Cornalii, videlicet montem illum, qui dicitur Gallanium, & totam terram, & vineas, & prata, & boscum quidquid circa montem illum, & fines nominatos contineri videntur, & piscarias, sicuti tenet mons ille, & pascua hic, & ubique nobis attinentia sint concessa jam dictæ Ecclesiæ, vel servitoribus Ecclesiæ, atque successoribus illorum pro animarum nostrarum mercede. Quamobrem infra scriptam offerfionem, sicut superius legitur in integrum ab hac die prædictæ Ecclesiæ, vel servitoribus Ecclesiæ, vel successoribus illorum pro animarum nostrarum mercede donamus, cedimus, & offerimus, & per hanc cartulam offerfionis jure, & proprietario nomine faciant quidquid voluerint sine omni nostra, & hæredum, ac pro hæredum nostrorum contradictione, vel repetitione. Si quis vero quod futurum esse non credimus, si nos ipsi, qui supra Ragnerius, & Gisla, & Wilielmus, & Julitta, atque Ardezonius, quod absit, aut ullus de heredibus, ac pro heredibus nostris, seu quælibet apposita persona contra hanc cartulam offerfionis ire quandoque tentaverimus, aut si eam per quod vultis ingenium infringere quænaverimus, tunc inferamus ad illam partem, contra quam exinde sitam intulerimus, multam quæ est pœna auri optimi uncias quadraginta, argenti pondera octoginta. Et quod repetierimus evendicare non valeamus, sed præsens hæc cartula offerfionis diuturnis temporibus firma, & stabiliter permaneat, atque persistat inconvulsa cum stipulatione subnixa. Insuper per cultellum,